

parvæ spicæ *florum* A exiguorum, *masculinorum*, rosaceorum, alborum. Ad exortum vero harum spicarum, latent *flores* *feminini* B apetali, constantes *embryone* subrotundo, *calice* quinquefido comprehenso, et *tuba* instructo, in sex filamenta alba divisa. *Fructus* CD villosus est, parvi pisi magnitudine, tria continens *semina*, pulchra splendentia et maculosa. Tota planta pilis hirsuta est.

In sabuletis humidioribus prope Veram Crucem nascitur, et foliis plus minusve acuminatis variat.

Tab. 23. MIMOSA non spinosa, palustris, et herbacea, procumbens; flore luteo pleno (a).

*Gaules* huic plantæ teretes, herbacei, glabri, humi procumbentes, et ex singulis articulis radices agentes. *Folia* pinnata, decomposita, constantia ternis vel quaternis alarum paribus; supra terræ superficiem expansa, sed minimo attactu se contrahentia, et claudentia. Ex horum alis oriuntur *pediculi* erecti, quatuor vel quinque pollices alti, et per longitudinem quibusdam squamis instructi; sustinentes *capitula* speciosa, lutea, fere globosa, magnitudine capitulorum trifolii pratensis purpurei. In his sunt *flores* varii, tam forma, quam natura et usu, neutri tamen perfecte congeneribus similes. Qui enim medium occupant, sunt vere pentapetali, calicibus exiguis quinquefidis contenti, staminibus longis pluribus instructi, et primo aspectu congeneribus quam simillimi. Qui vero in ambitu sunt flores, calicem et petala habent ut in cæteris; sed staminum loco sunt foliola oblonga, pulchra, aurea, non (ut in aliis floribus plenis dictis) veris petalis similia, sed illis multo ampliora et pulchriora; petala enim vera in hac planta exigua sunt, et colore virescentia; falsa vero ampla, aurea, et pulchra. Flores pleni (ut in plurimis ejusdem farinae accidit) sunt steriles; sed simplicibus succedunt *siliquæ* planæ, glabræ, bivalves; *semina* continentem plura, nigra, lucida, et compressa. Aquis stagnan-

(a) Mimosa plena Linn.